CATALOGVS
LECTIONVM ET EXERCITATIONVM

QVAE

A FESTO PASCHATOS

VSQVE

AD FESTVM MICHAELIS

ANNI CIↃ IↃ CCVIII.

IN ACADEMIA IVLIA

HABEBVNTVR.

HELMESTADI

Typis GEORG. WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
ANNO CIↃ IↃCCVIII.

FACVLTAS THEOLOGICA.

JOH. FABRICIUS D. Perget in interpretatione librorum Regum, & difficiliora, quæ inibi reperiuntur, ex genuinis principiis explanare, iisque usum practicum, sine quo scripturæ cognitio inutilis est, adiungere studebit, privatim etiam, præter exercitia lectoria & examinatoria atque homiletica, studio biblico operam cum Deo daturus.

IO. ANDR. SCHMIDT D. publicas lectiones in historiam ecclesiasticam V. T. absolvet, atque per ætatem illustrationem historiæ ecclesiasticæ N. T. in gratiam auditorum, enixe eam petentium, adgredietur. Privatim præter continuationem lectionis cursoriæ in librum psalmorum, theologiam dogmaticam tradet, practica quoque exercitia varia additurus & disputationes publicas, tum de diversis argumentis, tum in universam historiam ecclesiasticam, pro viribus promoturus.

CHRISTOPHORUS TOBIAS WIDEBURGIUS D. quæ in doctrina fidei explicanda restant, propediem absolvet. Postquam vero magistratu academico, quem gerit, defunctus fuerit, moralem Theologiæ positivæ partem publice proponet. Privatim Christianæ fidei dogmata denuo explicabit, nec deerit iis, qui in homileticis manuductionem suam desiderant.

FRIDERICUS Weise *D.* publice in expositione epistolarum Pauli ad Timotheum perget, hisque absolutis, eas addet, quæ ad Titum & Philemona sunt scriptæ. Singulas voces, dum exponet, rimabitur, ut emphases cognoscantur.

Osten-

Oſtendet quoque ſingulorum verſuum adæquata objecta, modumque uſus practicos ex ſacro textu eliciendi docebit. Hæc quidem diebus Lunæ & Martis publice tradet: reliquis vero diebus Jovis & Veneris juxta ſtatuta Rhetoricam eccleſiaſticam explicabit & applicabit. Privatim Theol. moralem brevi ad finem perducet, ad quam iterum prælegendam paratus eſt. Huic præcepta exegetica adjunget.

IOH. BARTHOLDUS NIEMEIERUS, D. Academiæ Senior, Reformatorum peculiaria dogmata, quibus â Proteſtantium ſententiis recedunt, publicis lectionibus exactiùs expendet. In domeſtico Auditorio ſelectiora Scripturæ Sacræ dicta explicabit, nec non tàm *Fidei*, quàm *Morum Theologiam* accommodatâ methodô perſpicuè tradet, conſuetaque cùm examinatoria, tùm diſputatoria exercitia ſtrenuè urgebit. Quòd ſi alios ſtudioſæ juventutis præclaros conatus adjuvare poterit, nihil in ſe deſiderari patietur. Docet publicè horâ decimâ.

FACVLTAS JVRIDICA.

JOHANNES WERLHOFIUS D. Codicem lectionibus publicis nuperrime demum præfatione auſpicatus eſt, ita ut & noviter advenientibus eas frequentare prorſus integrum ſit, ad libellum memorialem Brunnemanni planiſſima methodo accommodandas. Privatim ex novorum itidem auditorum deſiderio, qua Privatum, qua Publicum Jus, lectiones inſtituet.

ANDREAS HOMBORGIUS D. Pandectas, quas ante ſemeſtre publice interpretari aggreſſus eſt, ſedulo exponere perget & id operam dabit; ut privati ſui labores voto cupidæ legum juventutis reſpondeant. Si qui

etiam in arena diſputatoria exerceri cupiunt, illis ſtudium & operam ſuam lubentiſſime commodabit.

JOHANNES VVILHELMVS Engelbrecht D. interpretationem Juris Canonici ad cauſas quæ mixti fori dicuntur publicis lectionibus perduxit, quo labore finito, Illuſtris Domini Samuelis Strykii Examen Juris Feudalis proximo ſemeſtri tradere conabitur. Privatis etiam opellis ad Inſtituta abſolutis, alias iterum ex Dn. Commilitonum deſiderio auſpicabitur.

GEORGIVS Engelbrecht D. abſolutis Inſtitutionibus publice Jurisprudentiam Criminalem ex Conſtitutione criminali Caroli V. Imp. declarabit. Privatim commentationes ſuas ad Pandectas uſque ad Librum XLIX. perduxit, quibus non minus, quam Inſtitutionum prælectionibus, & examinibus propediem finitis ad novos labores ex voto jurisprudentiæ cultorum ſeſe accinget, nec opera deerit periculum in diſputando facturis.

FACVLTAS MEDICA.

ANDREAS JULIUS Böttcher Med. D. & Arch. Guelph. in publicis lectionibus nihil eorum prætermittet, quæ ad felicem morborum curationem pertinere & in medendo olim uſui futura videntur: ita tamen diſcurſum moderaturus, ut a Tyronibus, & qui nondum ſatis præcepta Artis callent, & intelligi facile, & non ſine fructu frequentari eædem poſſint. Privatim vero phyſiologica cum pathologicis conjunget.

JOHAN. GEORG. STEIGERTAHL D. Praxi medica detentus, Superiorum permiſſu a lectionibus quidem academicis vacabit, ubicunque tamen ſtudioſæ juventuti inſervire poterit & ſtudium ſuum & operam lubens pollicetur. *AL.*

Digitized by Google

AL. CHRISTIAN. GAKENHOLTZ D. In gratiam incipientium Medicamenta ex tribus naturæ regnis contra morbos desumenda enumerabit & ita declarabit ut & illorum forma externa cognoscatur & de virtutibus constet. Privata exercitia seorsim indicat.

BRANDANUS MEIBOMIUS D. absoluta morborum, qui frequentius occurrunt, historia, rariores, quorum & cognitio difficilior & causæ abstrusiores, describet. Hinc aphorismorum Hippocratis explicationem auspicabitur ac privato studio his junget Chirurgica, omnem instrumentorum apparatum & usum exhibiturus.

FACVLTAS PHILOSOPHICA.

HERMANNUS von der Hardt Absolutâ *Danielis* recensione, *Syriaca* illustrabit, ingentem eorum usum demonstraturus. Privatim *Philologica* varii generis tradet. Docet publice h. 9.

IVSTVS CHRISTOPH. BÖHMER, Polit. & Eloq. Prof. ex iure publico Concordata nationis germanicæ simulque ius principis circa sacra, &, e dicendi arte, doctrinam de adfectibus mouendis sedandisque, publicis lectionibus, illustrabit: priuatis in Pufendorfium de officio h. & c. atque in notitiam nummorum veterum Romanorum propediem finiendis alias subiunget. Docet publ. hor. X. & IV.

CHRISTOPHORVS HENRICVS RITMEIER, expositis per elapsum quadragesimale tempus (e Joh. cap. XIV. seqq.) ultimis Christi sermonibus, eminentiora quædam alia Novi Fœderis loca subjunget, iisque ritus & antiquitates græcanicas ita adhibebit, ut huc facientia varia ex ipsis autoribus, tam historicis, quam poetis & oratoribus græcis,

Digitized by Google

producat & explicet. Privatim fundamenta repetet, atque ad uſum transferet, additis Aeliani Hiſtoriarum libris. In quibus ut & reliquis propoſitis laboribus occaſioni & profectibus Auditorum ſedulo omnique fide ſe accommodabit. Docet publice hor. III.

RVDOLPHVS CHRISTIANVS VVAGNER, Mathemat. & Natural. Prof. Ordin. ſemeſtri præterito *Algebraicis* operationibus abſolutis, *Horographicas* eſt exorſus. Quibus propediem finitis *Opticas* Commilitonibus tradet. In Phyſicis autem, ad finem deductis *Caſati* de *Igne* diſſertationibus, ad ſubſtantiarum naturalium nobiliſſimam ſe convertet, de *Homine* theſes *B.* ſui Anteceſſoris *Schraderi* eruditiſſimas diſcurſu perpetuo illuſtraturus. Privatim abſolvit *Geometrica*, & *Architectonica*, in *Aſtrognoſticis* autem, *Arithmeticis* & *Phyſicis* inſtitutionibus explicandis adhuc detinetur. His ipſis *Horographica*, *Optica practica*, aliaque, utilia non minus quam jucunda, exercitia ſubnectet. Docet publ. horis I. & V.

FRIDERICH AUGUST HACKMAN Moralium & Poeſeos Profeſſor *publicè* doctrinam practicam tam ex *Grotio* exponet, quàm ex *Ariſtotele*, & ad cultiſſimum Grotii noſtri *illuſtrisque Domini de Beſſer* genium facilitate erudita carmen vel latinum vel germanicum conſcribere optima porro fide oſtendet. *Privatim* publicam *Hugonis*, qui totus erat Ariſtotelicus, Jurisprudentiam cum *Receſſuum paratitlis* grata inculcabit methodo. *Arbores* inſuper *Genealogicas Principum Europæ Nobiliumque Germaniæ* ab ingenioſiſſimo excogitatas Domino *Schelio*, & typis in Hollandia nitidiſſimis expreſſas diſcurſibus illuſtrabit hiſtoricis. Quòd ſi præterea inter Nobiliſſimos Dominos Commilitones nonnulli Jurisprudentiam *Grotianam* vel *Hugonianam* ex publica defendere cathe-

cathedra, vel aliis ſolennibus ſpeciminibus eximios in practicis diſciplinis profectus erudito declarare orbi geſtiant, Præſidis munere fungetur liberali. Docet publicè horis VIII. & VI.

CORNELIUS DIETERICUS KOCH, Philoſophiæ primæ & Logicæ Prof. Publ. Ordinar. præterito ſemeſtri publice Logicis Inſtitutionibus, Præcepta diſputandi, & Diſtinctiones philoſophicas attexuit, quas propediem abſolvet. Deinde ex altera muneris ſui parte, *Theologiam Naturalem*, eamque V. A. SCHMIDII verbis expoſitam, iterum publice interpretabitur, & ad uſum animorum gnaviter accommodabit. Privatim vero *Philoſophiæ* partes eas, quas Amici deſideraverunt, ſedulus explicabit, *Deambulationes Dialecticas* denuo, ſuo more, quem Programmate declaravit, urgebit, &, qui ſpecimina partæ eruditionis publicare decreverint, iis quoq; lubens operam ſuam adhibebit. Docet publice hora II.

JO. GEORGIUS ECCARDUS Hiſtoriarum Profeſſor Publ. & Ordin. ex itinere Hanoverano jam bono cum Deo redux, & per inſtans ſemeſtre ſpatium Academico muneri ſuo non interrupto curſu operam navaturus, quam antehac promiſerat, *Hiſtoriam univerſalem à Conſtantini Magni ævo ad tempora Caroli Magni* per Jo. Clericum deductam, *publicè* methodo ſolitâ explicabit. *Privatim* vero *Hiſtoriam noſtri temporis civilem*, *Hiſtoriam* item *patriam*, *hoc eſt*, *Brunſuicenſem & Luneburgenſem*, nec non *Introductionem ad notitiam rei litterariæ* horum ſtudiorum Cultoribus tradet. Nec deerit iis, qui ad Genealogica Geographicaque manuduci volunt. Docet publicè hora VII.

JONAS CONR. SCHRAMMIUS Prof. Philoſ. Extraord. perductâ hoc ſemeſtri ad finem *Doctrinâ de Interpretatione*, rogatu præcipuè quorundam Commilitonum in B. Ca-

Digitized by Google

B. Caſelii librum *de Ludo Literario rectè aperiendo* lectiones publicas ordietur. Idque faciet eum in finem, ut qui... ...t in ſcholis trivialibus aut verò domi tenerorum aliquandò poſt curriculum hoc Academicum obtinget inform atio animorum, habeant quod præmeditentur. Idem privatim abſoluto curſu *Philoſophico Philologicoque* novis iterùm ejusdem generis Exercitationibus operam dabit, atq; cum diſputando tum examinando quoq; ac prælegendo auditores ad ulteriora præparabit. Docet publ. hor. XI.

Habebunt in hac academia & illi, quibus integrum eſt ſua ſtudia certis diſtinguere inter-vallis, præter lectorem linguæ Gallicæ, in arte equitandi, ludisque, palæſtrico & ſaltatorio, Magiſtros, longô harum rerum uſu exercitatiſſimos.

5.5.320